

tiam. Vnde. *Audiam quid loquatur in me dominus deus.* Atque ita singula Psalmorum fensa in tres, quatuor, quinas, quin et plures particulas pro aevi illius gustu secundo proceditur usque ad *Psalmi CXLIX. v. ultimum* et sic concluditur: *Vt faciant in eis iu. con. Vnde Daniel. ver. Sedit iudicium. et libri aperti sunt. et iudicatum est secundum quod continetur in eis.* De Thoma Novoniensi vel fortasse Novomensi altum apud Gesnerum, Oudinum, Fabricium, Egassium Bulaeum, Lelongium silentium. Neque Bibliothecarum Mss. Editores, quorum praecipuos solerter consulimus, quidquam mussant. Solus Montefalconius pag. 1256. *Sermones Thomae de Noyum* commemorat, qui nofterne sit, dicere non habemus, opus tamen ipsum ad Sec. XII. aut XIII. pertinere arbitramur. Codicis nostri fol. 1. capitali litera adscriptum est: *Sentencie de Augea*; id quod conjecturam facit, illum quondam in possessione cujusdam celeberrimorum Monasteriorum, quae *Augiae* nomen praeferunt, fuisse.

CCCXVI.

372 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 68. f. per duas columnas exaratus et rubricis distinctus est: *Summa super sententiarum Magistri petri*, videlicet dicti Lombardi, cujus Prologus incipit: *Sicut desidiosi et pigri nimium lectoris est obscura et magnis senten-*

tiis grauida nolle exponere. ita quoque non studiosi sed supersticiosi est ea que plana sunt longis nimium et peregrinis expositionibus honerare &c. Expositio ipsa: *Nos cupientes mittere. i. addere aliquid expositionis in gazophilacium domini. i. in scripturis dei que dicuntur gazophilacium &c.* Finis L. IV. *mater que non comedit magis delectatur de ipsa re. i. de melle comesto a filio. quam filius delectatur in mel comedendo. Explicit summa sententiarum.* Accedit Index. Difficile est in tanto eorum numero, qui inde a Sec. XII. in *Petri Lombardi Sententias* commentati et commenti sunt, Autorem praesentis *Summae* digito monstrare, nisi Curiosorum quis in Exemplar incidat forte fortuna ejus nomine insignitum.

CCCXVII.

Codex chartaceus lat. Sec. 215 XV. Folior. 136. f. currente calamo scriptus, olim *Petri Lambecii* continet I. *Commentaria in IV. Libros Sententiarum Petri Lombardi*, hoc initio: *Quoniam in paucioribus via magis (expedita?) ideo scripta sententiarum communia studendo et legendo cogitui fore congruum omnium questionum conclusiones cum breui declaratione in unum breuiter et ordinate colligere &c.* Finis: *qui ad gaudia eos secum trahit eterna, ad que nos perducere dignetur &c.* Adjectum: *Explicunt solutiones supra quatuor libros sententiarum in scolis prage collecte.*